


Johann Huswedel

Rector Universitatis Rostochiensis, Johannes Huswedelius, Phil. pr. Prof. Ad Exequias Quas Scitissimo Puero Samueli Jageteuffel/ Parentes maestissimi paratas cupiunt, Academiae Cives ... invitat

Rostochii: Kilius, 1639

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn771007477>

Druck Freier  Zugang



Huswedel, J.,
in S. Jageteuffel.

Rost. 1639.

38

RECTOR

Universitatis Rostochiensis,

JOHANNES HUS-
WEDELIUS, Phil. pr. Prof.

AD EXEQUIAS

Quas

SCITISSIMO PUERO

SAMUELI

GABRIELIS

Parentes mestissimi paratas cupiunt,


*Academia Cives hodie hora prima in
adem diva Maria in*



ROSTOCHI

Litteris NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

Anno M DC XXXIX.


IN Evangelicis nuptiis, quibus interfuisse Redemptor & Servator noster Canæ in Galilæa legitur, cum deficeret Vinum, lætitiæ dator, jussi sunt ministri implere hydrias aqua, & quidem summorum labiorum tenuis. Dictum, factum. Quid aliud hæc aquæ nuptialis copia nobis indicat, quam calamitates & infortunia, quibus abunde implentur matrimonia piorum. Modo enim victus deficit, modo potus, modo indumenta: Quid esuri sumus, quid bibituri, quibus indumentis usuri? uti querelam piorum conjugum Servator noster apud Evangelistam exponit. Quid si ex variarum rerum defectu litigia ordiantur conjuges? Quid si stultus aliquis Nabal probam Abigailem dedecoret? Quid si morosa, garrula, sumtuosa Xantippe Socratem infelicem convitijs domo ejiciat, ejectum contumelia prosequatur? Quid si degeneres liberi pios & probos parentes dolore afficiant obruantque? Quid si probos & obedientes morbis conficiant, recens natos & spem futuræ frugis minimè dubiam de se præbentes repente & inopinato morientes

rientes videant? Quid si maritum uxor, maritus uxorem gravi morbo oppressam, lecto affixam videre cogatur? Quid si uterq; simul decumbat graviter, nec alter alteri præstare possit officia, quæ & Christianæ copulæ ratio & fides conjugalis, amorq; mutuus postulat? Quid si propinqua paritudo uxori appetat, in qua & ipsi metuit probus maritus, ne quid ex partione damnosi contingat, tum ne sibi pueros insignitos pariat, Aut varum aut valgum, aut compernem, aut petū aut broncum filium? Sed quis omnem istam copiam aquæ conjugalis, ærumnosæ, dolorificæ, lacrymosæ recenset. Verum est, quod virgo dicit, licet ex animo dicere non videatur, apud Theocrit. *γάμος πάθος ἀνίας*. Sunt connubia plena dolorum; nec aliter ista sacra constare, testabitur, locupletius quàm vellet, Vir præstantissimus & suæ artis pharmaceuticæ peritissimus Dn. SAMUEL Zageteuffel qui lætitia quidem non exigua, ut patri convenit, affectus est, cum dolorem ex obitu prioris filioli DANIELIS conceptum, alter filiulus SAMUEL, de quo nunc agimus, expungeret, atq; ita priorem luctum posterius gaudium obliteraret. Factum id est, Anno 1637, cum scitissimus puellus iste SAMUEL nasceretur, ex patre cognomini SAMUELE Viro præstantissimo & expe-

experientissimo rei pharmaceuticæ, & honestissi-
ma foemina MARGARETA BOSSOVIA Am-
plissimi & prudentissimi Viri Dn. HENRICI
BOSSOVII Consulis Parchimensis, bene de illa
Republ. meriti, filia. Avus puerulo fuit Vir Cla-
rissimus & rei Medicæ experientissimus Dn. DA-
NIEL Jageteuffel Medic. Doctor & Illustrissi-
mæ celsissimæq; Principis viduæ Megapolitanæ,
quæ defuncto Coniuge Illustrissimo & Celsiss,
Principe HULDERICO beat. mem, Grabovii
aulam suam habebat, personæ medicus, tum Ci-
vitatis Parchimensis Physicus ordinarius. Avia
paterna MARIA, foemina primaria, quippe Viri
Amplissimi Dn. SEBALDI SVERTZERI, qui Cæ-
saræ Majest. Consiliarius & Capitaneus in valle
Joachimica fuit, benenata & educata filia. Avia
materna ANNA, filia DANIELIS CLAU-
DRIANI Consulis Gustroviensis. Qui-
bus ex parentibus, ut apparet, honestis & prima-
riis cum esset in hanc lucem editus, hac in urbe
Anno supra dicto, die 15. Julij post noctis medium
inter duodecimam & primam horam, pii parentes
in primis curarunt, ut tertio die post lavacro rege-
nerationis mundatus in foedus gratiæ divinæ re-
ciperetur. Insequens ætatula indicia probæ in-
dolis & futuræ, si vivere licuisset, virtutis tot &
tanta præbebat, ut ex iis pii parentes præcipuo
quo-

quodam gaudio delibuti redderentur, & in hoc
filiolo sibi reparatum, quod in priori perditum
erat, sperarent. Inprimis pietatem, ex indicibus e-
videntibus promittebat, quod vel nunc quoq; so-
lacio piis esse parentibus possit. A cibo sumto, vel
cubitum ituri ceteri quoties ad preces & gratia-
rum actiones vocarentur, iis adjungebat se hic
parvulus, quasi suam quoq; operam conferret,
ac DEUM rogaret, ut imminentes poenas clemen-
ter avertere, & in sui nominis hostes avertere vel-
let. Ut enim Psalmistes canit, ex ore infantium
& lactentium præparavit sibi laudem Jehova:
Quidni ex eodem ore preces, instinctu Spiritus S.
fideles proficiscantur, adultiorum precibus pares,
forte etiam efficaciores? Quantum ex ea re spei
perceperint pii parentes, facile colligit ex animo
suo, qui similem gustum gaudii conjugalis, ex bo-
na filiolorum indole, aliquando accepit. Verum
ex eadem spe intercepta, imò planè interfecta,
quantum doloris, luctus & lacrumarum ortum
sit, non minus facile divinabit, quisquis vel semel
& unicuique ex isto mæroris poculo duxerit; cum
tamen plus semel hæc fortuna contigerit piis hu-
jus pueruli parentibus. Nam ante tres anni qua-
drantes nimis maturè variolis, aut si malumus,
ἐξαιθήματα, quæ medici, ni fallor, *νεγροδά* à milii si-
militudine vocant, affectus est haud leviter; cui

aliud post ea malum accessit, quod cum fascitis
coercendum videretur, ex pallore & languore
sive inbecillitate virium facile colligi potuit,
^{reputat} in latitare, quod apprensus malū iugeret. Die
22. hujus mensis, qui Martis erat, tussi occupatus
est, catarrhis arteriæ asperæ incumbentibus, ac te-
nellum infestantibus. Equidem diebus aliquot
præcedentibus alvi proluvio affectus fuerat lar-
giusculo, sed hoc dentitioni tributum, & pro se-
cundiori signo, non à parentibus tantum, sed à Dn.
Medicis quoq; habitum, donec prædicto die ma-
nifesta crescentis mali indicia proruperunt, quæ
vires corpusculi magis magisque deiecerunt, affli-
xerunt, ac die conversionis Paulinæ, qui est 25.
hujus mensis inter 10. & 11. planè exstinxerunt.
Si vitæ humanæ ea est conditio, ut quanto quis
diutius vivit, tanto plus miseriarum videat sen-
tiatque, magna est hujus pueruli felicitas, qui per
breve spatium temporis, tantum pelagus fragilita-
tis humanæ trajecit, ac feliciter in portum appu-
lit. Parentes haud dubiè filioli sui casu haud per-
functoriè se tactos conquerentur: sed Christiani
cum sint illud Servatoris CHRISTI in memo-
riam sibi revocabunt: Sinite parvulos istos ad me
venire, quia talium est regnum coelorum. Idem
docuit nos agnoscere & adorare voluntatem
DEI,

Dei, qui ut hunc filiolum iis dedit, ita eundem
abstulit; imò quem utendum ipsis dederat, ad se
repetivit; quanto citius tanto melius. Flosculus
adhuc erat, indolem quidem ostendens & spem
sui præbens sequuturi fructus non vulgaris; sed
flosculus tamen, nondum fructus. Poma etiã que
pendent in arboribus, nõ omnia mature facta ca-
dere. Sed plurima acerba admodũ ruere videmus.
At fructum ferre & gaudium parentibus parere
potuisset, si ad maturitatem pervenisset! Quidni?
Omnes idem de suis liberis sibi promittunt, &
gaudia futura, quasi præsentia, spe certa præcipi-
unt. Quibus vero tandem respondet eventus,
quantam vim negotiorum sustinere, quantas un-
das molestiarum prius exhaurire necesse habent?
quibus non raro factum videmus ut mallet in
prima infantia extinctos, quos tantis difficultati-
bus educare coguntur: ne dicam plurimos esse
quorum labori eventus minimẽ respondet, qui
operã & oleum perdunt, *πῶς τὸ μίχρον ἄλγα πάχρον.*
Quanto fatius est, in voluntate Dei acquiescere.
Avocat recens natum in prima infantia; at pater
dulcedine ac suavitate nominis paterni gaudet:
Avocat in pueritia; at jocis etiam puerilibus, na-
turali quadam laetitia parentes afficientibus, quã-
diu licet fruantur, ubi non amplius licet, saltem
grata

grata repetant memoria, & eorum non sine tacito
gaudio recordentur. Eadem ceterorum ratio;
semper enim divina voluntas aliquid iucundi, au-
ferens, relinquit, quod opponi damno possit, mo-
do animus adsit Spiritui sancto locū relinquens.
Nos quoq; Cives Academici, habemus, quod hae
in re agamus. Officii Christiani, praecipue in ex-
sequi is habenda est ratio: hae à nobis postulat, ut
frequentia nostra testemur, eum qui effertur in
beatorum numero à nobis haberi: qua de re hoc
quidem in funere dubitare non possumus. De-
inde ut moerorem tristibus & afflictis leniamus,
quantum possumus. Facite id nobiscum & fre-
quentes adeste. Conventus fiet hora prima
in aede S. Mariae, P. P. Sub sigillo

Rektoratus.

Anno 1639. die 27. Januarij.



D E I, qui ut hunc fistolum iis d
 abstulit; imò quem utendum ip
 repetivit; quanto citius tanto
 adhuc erat, indolem quidem os
 sui præbens sequuturi fructus
 flosculus; tamen, nondum fructu
 pendunt in arboribus, nō omnia
 dere. sed plurima acerba admod
 At fructum ferre & gaudium p
 potuisset, si ad maturitatem perv
 Omnes idem de suis liberis sib
 gaudia futura, quasi præsentia, t
 unt. Quibus vero tandem rel
 quantam vim negotiorum sustin
 das molestiarum prius exhaurire
 quibus non raro factum videm
 prima infantia exstinctos, quos
 bus educare coguntur; ne dica
 quorum labori eventus minim
 operā & oleum perdunt, *progr*
 Quanto fatius est, in voluntate
 Avocat recens natum in prima
 dulcedine ac suavitate nominis
 Avocat in pueritia; at jocos etia
 naturali quadam lætitia parentes a
 diu licet fruantur, ubi non amp

ndem
 ad se
 flosculus
 spem
 is; sed
 iā quæ
 Et ca
 demus;
 parere
 vidni?
 nt, &
 æcipi
 entus;
 tas un
 abent?
 nt in
 ultati
 os esse
 t, qui
maior
 escere.
 t pater
 udeat;
 us, na
 , quā
 ltem
 grata

